*DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA*

DE

# DOCIMASIA PVLMONVM

## A NVPERIS DVBITATIONIBVS VINDICATA

---

QVAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

CAROLO AVGVSTO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE
ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIO THVRINGIAE REL.

CONSENSV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS
ATQVE PRIVILEGIIS RITE CONSEQVENDIS

A. D. XX. OCTOBRIS CIƆIƆCCLXXXVIII.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

CAROLVS FRIDERICVS KIEFER

NASSOICO-SAARAEPONTANVS

---

IENAE

EX OFFICINA FICKELSCHERRIO-STRANCKMANNIANA

PATRI
VENERANDO PIO PROVIDO
FORTVNAE STATORI FAVENTISSIMO

IOANNI NICOLAO KIEFER

SERENISSIMO PRINCIPI NASSOICO - SAARAEPONTANO A CONSILIIS CONSISTORII GYMNASII SAARAEPONTANI PROFESSORI ET RECTORI DIGNISSIMO

HAS

QVALESCVNQVE PRIMITIAS

GRATI ANIMI ET PIETATIS

TESTIFICANDAE CAVSSA

D. D. D.

SE RESQVE SVAS IN POSTERVM

COMMENDATVRVS

FILIVS OBSEQVENTISSIMVS

AVCTOR

# PRAEFATIO

Peruaſerat nuper animos medicorum pruritus quidam et inexplebilis veluti ſcabies, qua nobili ſcilicet nomine obſeruatorum contenti, nihil ad artem medicinalem aptius vel praeſtantius eſſe obſeruationum bigis et trigis publice priuatimque profitebantur. Et recte quidem, ſi quid video. Nihil enim clinico facilius eſt, quam aegros videre, perſanare vel morti tradere, ac tandem, quidlibet e re viſum fuerit, chartae committere. Deferbuit paullulum iſte furor, quia id, quod nimium eſt, diu conſiſtere non poteſt, ſed cum ipſius artis detrimento, quae vſu et experientia potiſſimum nititur. Cum varia morborum facies ſit, nullus eſt in illis ſcriptis liber, qui non aliqua, multa vel plurima varietatis humanae, caſuum incertorum et mutationum, ex alia atque alia cauſſa fluentium exempla medicis ſuggerat. Continetur haud raro libro vulgari rara quaedam ſcituque digna obſeruatio, vnde, quam varia et multiformis natura ſit, quae cautio adhibenda, ne fallaris, facile intelligas. Neque bonis viris ideo ſuccenſendum eſſe puto, quod ſuas qualescunque obſeruationes et experimenta litteris conſignarint, quia nulla res, licet eximia et ſalutaris, ſatis delectat, niſi et alii eam ſciant, *nec vllius boni ſine ſocio iucunda poſſeſſio eſt. Si cum hac exceptione detur ſapientia*, praeclare monente SENECA, *vt illam incluſam teneam, nec enunciem.* Id vnum dolendum eſt, quod haud raro vnica obſeruatione, tanquam fundamento, tenaciter adhaereſcant, et vel illico ſuffulciant nouam opinio-

nem, vel veterem ſubruere tentent. Quarum vtra praeferenda ſit, non ſingulis caſibus decernitur, ſed pluribus. Horum demum collatione liquet, in qua parte ſit veritas. Quod cum negligerent atque poſthaberent medici forenſes, *de docimaſia pulmonum* inter ſe acriter litigantes, neque meminiſſent illius Ouidiani:

*Media tutiſſimus ibis*,

non poterant non a vero aberrare, caſus ſingulos, nec ſatis in aprico poſitos appellando, et ſic rem per ſe certam ac veram dubitam reddendo. Nam ſuis exemplis non, niſi hoc probant, fieri nonnunquam poſſe, vt certa incerta eſſe videantur; (De quo quidem nemo prudens et naturae conſultus dubitat) Sed ſi verum eſt dialecticorum decretum, quod exceptio regulam non tollat, conſequens eſt atque conſentaneum, vt ne iſta quidem exceptio forenſis, quatenus ad pulmonum explorationem pertinet, veritatis vim et auctoritatem imminuat vel in ſuſpicionem adducat. Hinc mirari ſubit, quid ſit, quod haud pauci e medicis clariſſimis rem quandam fortuitam, nonnunquam cauſſis, neſcio, quibus euenturam atque lubricam, ſtabili et firmae opinioni praeferendam putarent, doctrinam ipſam et veterem, et probabilem ex animis hominum et foro tolli, quam circumſcribi mallent.

Inclinant ergo quidam medici rei nouitate atque timore ad contraria, et omnem pulmonum docimaſiam reprobant, hiſce obſeruationibus confiſi atque contenti. Sed de his equidem aliter ſentio, lubitumque eſt mihi, ad ſummos in medicina honores adſpiranti, paullo curatius in hoſce caſus inquirere, et docimaſiae cum veritatem, tum conſtantiam a nuperis dubitationibus vindicare. Id quod ita aggrediar, vt primum caſus ipſos memorem, deinde quatenus receptae doctrinae aduerſentur, paucis proſequar. Faxit deus feliciter!

SECTIO I.

# SECTIO I.

*Caſus nuperi docimaſiae pulmonum forenſi perquam aduerſi.*

## §. I.

Docimaſia pulmonum, quatenus in foro valet, et vitam fetus intra et poſt partum peractam, et ſpiritum ore hauſtum viciſſimque redditum debet extra dubitationis aleam ponere, vt de infanticidio ſatis conſtet. Pulmones enim ſani et integri, qui aerem non attraxerunt, ſunt aqua pura ſpecifice grauiores, ideoque ad imum vaſis ampli deferuntur, contra qui adſpirarunt, nec morboſi vel putridi ſunt, ſolent eſſe natura ſua leuiores aqua et ſuperne innatare, et quidem quoad pulmonem dextrum eiusque partem, ſi fetus vix dum in lucem editus perierat, at vero quoad vtrumque, ſi animam aliquamdiu

reci-

reciprocarat. Solet ergo in vtroque caſu alius eſſe pulmonum habitus, color, forma, ſitus, et poteſt ex oculorum iudicio praeceptisque medicinae forenſis facile de vita fetus certa vel dubia decerni *), modo nolimus in re graui et vitae matris inſidioſa hinc illinc titubare, ac nubem pro Iunone amplexari.

§. II.

Multae extant in ſcriptis medicorum dubitationes plus minusue probabiles, ſed nolo, quia magis opinione, quam factis conſtant, iis numerandis poſt viros clariſſ. Danielem **) et Metzgervm ***) immorari, ſolis obſeruationibus nuperis contentus, quia hae quidem videntur veterem doctrinam paullum conuellere.

1. Prima eſt obſeruatio Illuſtr. Loderi ****), qui cadauer infantis praematuri inſecuerat, pondere libras binas, longitudine tres pollices Pariſiacos aequans, per XIII. horas integras viuentis et vocem edentis, ex matris et muliercularum fide. Pulmones erant adſpectu et forma ſimiles iis, qui mortuorum ante partum eſſe ſolent, i. e. collapſi, fuſci, denſi, et etiamſi nec ſanguis, nec mucus, nec materia tophacea, nec ſcirrhi eos occuparent, tamen in aqua ſubſidebant cum integri, tum in fruſtula diſſecti. Dubium ergo hoc in caſu eſt, quomo-

*) Quae huc pertinent, nuperrime expoſuit amiciſſimus *Olgren*. Diſſ. *De ſignis infanticidii dubiis atque certis in medicina forenſi bene diſtinguend.* Ien. 1788. p 25.

**) Comm. de infant. nuper nator. vmbilico et pulmon. Hal. 1780.

***) Animaduerſ. de docimaſia pulmon. Regiom. 1787.

****) Progr. quo pulmon. docimaſia in dubium vocatur ex noua anat. obſ. Ien. 1776.

quomodo foetus praematurus viuere atque vocem edere potuerit, ſpiratione non facta, pulmonibusque denſis in aqua deſidentibus. Quod euentum et paradoxon viſum eſt multis, vtpote nimis abhorrens ab recepta opinione, habitaque fides obſeruationis ſuſpecta.

2. Altera obſeruatio debetur Cl. Bvcholzio *). Erat in lucem edita puella praematura, viuens, pennae ſtimulum aegre ferens, quo muſculi faciei paullum contrahebantur, hinc quiddam ſoni ſimile reddens. Poſt biduum viuere deſiit, et cultro ſubiecta oſtendit cor nudum, pulmones contractos, ſuperne rubellos, inferne ſubfuſcos, integros vna cum corde aquae ſupernatantes, dextrum et integrum, et in partes diſciſſum idem ſpectaculum referentem, ſiniſtri vero partem infernam ſubfuſcam, compactam, ad fundum delapſam, ceteris ſuper aquam natantibus.

§. III.

3. Tertia obſeruatio ad Cl. Iaegervm **), phyſicum Nürtingenſem, pertinet, eaque reuera legalis. (a. 1756.) Mater filiolum vix ſatis maturum clanculum peperat, ab hora quinta matutina, ad nonam veſpertinam vſque viuum, et tunc demum mortuum, longitudine 13 $\frac{1}{4}$ pollic. pondere 2 $\frac{1}{4}$ libr. capite bene crinito, et praeclare compoſito, vnguibus manuum paruis et firmis, funiculo vmbilici ſolido, albo, paruo

*) Beyträge zur gerichtl. Arzneigel. und med. Polic. Th. II. p. 104.

**) V. *Scholl* Diſſ. qua occaſione recentior. quarundam obſeruation. concluſio ex ſubſidentia pulmon. recens nati fetus examinatur, Stuttgard, 1786. p. 19.

uo et tenui, ſugillatione ad ſcapulas leui, ad oſſa parietalia vero maiori, in baſi cerebri parua ſeri cruenti copia, ventriculis cordis vaſisque maioribus ſanguine plenis. Quod ad pulmones et partes nexas attinet, neque ad imum mergi, neque ſupernatare aquae poſſe videbantur, vterque lobus pulmonis ſiniſtri in partes ſectus partim fundum petiit, partim in medio vaſe pependit. Idem ſpectaculum oſtenderunt reliqui tres lobi pulmonis dextri. Hic vero infans, ſi obſtetrici ceterisque feminis credimus, multam quidem vagiit, ſed tenui ſono, qualis catulorum felinorum eſſe ſolet, lac quidem atque pultem ore ſumſit, ſed recte deglutire non potuit.

§. IV.

4. Quartam obſeruationem litteris conſignauit Ill. METZGER *). Peperit mater fetum ſeptimeſtrem, mole paruum, vnguibus imperfectis, pilis vix conſpicuis, cute rugoſa, pondere trium circiter librarum, ſcroto vacuo, qui, matre ac contubernalibus ſancte affirmantibus, etiamſi debilis, ab hora quinta matutina ad duodecimam vſque vixerat, ſibilum ſubinde ediderat ſub laborioſa pectoris agitatione, ſpuma ex ore profluente, et extremitatum quadam conuulſiua contractione, infuſa ori humida receperat quidem, ſed ſpumoſa refuderat. Sub ſectione reperiebatur thorax elatus, qualis eſſe ſolet aerem ducentium, cor nudum, pulmones retracti, compreſſi et colorem ex atro rubentem referentes, integri et in fruſtula ſecti deorſum lati, ſtrepitu inter inſe-

can-

*) Diſſ. cit. p. 22. ſeq.

candum nullo, nec ſanguine ſpumoſo, aere intus nullo, corde ita comparato, vt in mortuis incidit. Vixit ergo, ſi teſtibus ſua fides conſtat et vagiit, et nihiloſecius deſunt cetera vitae ſpirationisque factae documenta.

## §. V.

5. Supereſt alia obſeruatio forenſis, quam b. KÖNIGSDÖRFFER, phyſicus Altenburgenſis dexterrimus virque probus, ex officio ſcripſit. Ecce viſum repertum!

„*Auf Requiſition des hochfürſtl. Amtes allhier, haben wir uns Endes benannte unter dem heutigen dato nach K*** in das Haus der Sabine Häſtnerin begeben, um daſelbſt ein von ihrer Tochter heimlich gebohrnes todtes Kind gerichtlich zu beſichtigen und zu öfnen.*

*Weil es in der Hauskammer eingeſcharrt lag, ſo gruben wir es behutſam heraus, und ſanden es in ein leinen Tuch eingewickelt. Es wurde hierauf in eine lichte Stube gebracht, und es war ein vollkommenes gliedmäſsiges Kind, männlichen Geſchlechtes, ſehr fleiſchigt, am Kopfe hatte es viele Haare, und vollkommene Nägel, aber keine Merkmahle von Stichen oder Eindrückungen, die Zunge war nicht geſchwollen, und im Munde fanden wir keine fremden Körper, keinen rothen Streif um den Hals, kein eingedrücktes Bruſtbein, die Wirbelbeine des Halſes und des Rückens in ihrer natürlichen Lage, und auf der ganzen Oberfläche des Kindes äuſerlich keine Verletzungen. Die Nabelſchnur war über zwei Spannen lang, aber nicht verbunden.*

*Nach geſchehener Eröfnung der Bruſt und des Unterleibes fanden wir in der Bruſt einiges Waſſer, die Blutgefäſſe voller Blut,*

*zum Beweis, daſs ſich das Kind wegen nicht geſchehener Unterbindung der Nabelſchnur nicht zu Tode geblutet hatte. Die Luftröhre war mit nichts verſtopft, die herausgenommene Lunge fiel in einem gehörig weitem und mit laulichtem Waſſer angefüllten Gefäſse ſogleich zu Boden. Hierauf wurden die Lungenflügel von einander gelöſst, und jeder einzeln ins Waſſer gelegt; Allein ſie ſanken beide nieder, welches auch die kleinen geſchnittenen Stücke thaten.*

*Bei der Abſonderung der Decken des Kopfs, der ungewöhnlich groſs war, kam unter denſelben auf der linken Seite und auf der Spitze der Scheitelbeinen, eines Groſchen groſs, zum Vorſchein ausgetretenes Blut, als ein Beweis, daſs das Kind ſchief eingetreten, und wegen des groſsen Kopfes lange inne geſtanden, ehe es zur Welt gekommen, und dadurch ſein Leben verlohren, welches wir pflichtmäſig atteſtiren ſollen.*"

D. Königsdörfer.

Delata res eſt ad Gratioſum Ordinem medicum Ienenſem, ſed haec obſeruatio refragari videbatur relationi matris, quae eodem cum filia partum enixa lecto cubiculari tenebatur, et ſe infantem natum veſperi, quantum meminiſſe datur, in arca quadam repoſitum, panno inuolutum, caelo ſub frigido, vagientem ad mediam noctem vſque audiuiſſe, filiam puerperam hac de cauſſa etiam atque etiam rogaſſe, vt filiolum ſibi fouendum traderet, ſe vero ardentiſſimis precibus a deo efflagitaſſe, vt eum placida morte ad ſe reſumeret, et euentum votis reſpondiſſe. Facultas gratioſa reſponſum dedit, ſed quomodo, equidem non ſatis memini. Scripſit ergo

Ill.

Ill. Grvner priuatas litteras ad virum clariſſimum, ex eo ſciſcitaturus, quatenus iſta mulierum narratio cum viſo reperto conueniat. Ille vero ſic reſpondit.

*Die Lungen ſahen röthlich, waren dichte und zuſammengefallen. Es ſind von jedem Lobo Stücken ins Waſſer geworfen worden, die niederſielen. Ob aber alle und jede Theile der Lunge klein geſchnitten ins Waſſer gekommen ſind, kann ich mich nicht mehr genau erinnern. Im Unterleibe, der genau durchſucht worden iſt, war nichts fehlerhaftes. Hexen ſind genug verbrannt worden, die vorgegeben und eingeſtanden haben, ſie hätten gehext. und hatten doch nicht gehext. Sollte den Ausſagen dummer Bauerweiber, die bei einer ſolchen Gelegenheit voller Angſt ſind, völlig Glauben beizumeſſen ſeyn?*

Non abhorret iſthaec obſeruatio ab ceteris, quas breuiter ac ſtrictim recenſui. Adſunt teſtes ſceleris conſciae et metu perculſae, vagitum et vitam fetus maturi per aliquot horas tractam memorantes, vaſa pectoris ſanguine plena, funiculus vmbilici non deligatus, aſpera arteria libera, pulmones rubelli, denſi et collapſi, quales referunt infantes ante reſpiratum mortui, integri et in partes ſciſſi ad fundum vaſis deferuntur, et id vnum in dubio relinquitur, vtrum cum quauis pulmonum particula, ſumma et ima, periculum factum ſit, nec ne, dubitatur de muliercularum fide, quae ſagarum more cum audita, tum inaudita poſſint eloqui et vel ipſo iureiurando confirmare.

## §. VI.

6. Vnus in mentem venit caſus forenſis, quem Cl. KECK *), medicus et phyſicus Coſwigenſis, nuperrime vulgauit. Peperat mater, ex incerto patre grauida, filiam maturam, longitudine 21. pollic. Pariſin. pondere ſex librarum, facie liuida, nota violentiae externae vel putredinis nulla, in ore naribusque muco nullo, funiculo vmbilici albo, non deligato et vacuo, fontanella paullum depreſſa, ſub ſiniſtro frontis et bregmatis oſſe prope ſuturam lambdoideam exigua grumoſi ſanguinis copia, cerebro integro, ſinu falciformi, vaſis matris piae, ventriculis cerebri ac plexubus choroideis ſanguine atro plenis, aſpera arteria nec ſpuma, nec muco obſeſſa, pulmone vtroque liuido et collapſo, ſiniſtro vero quaſi pone cor occultato, vtroque ſpongioſo, leui, hinc inde ſugillato, aquae ſupernatante cum integro, tum fruſtillatim ſecto atque immiſſo, vaſis magnis et coronariis cordis atro et liquido ſanguine refertis, cauis vero cordis vacuis, viſceribus abdominis apto ſitu et forma praeditis. Ex hac obſeruatione colligitvir cl. fetum ante partum ab graui matris caſu diem ſuum obiiſſe, dubiam eſſe pulmonum docimaſiam, quia hi, etiamſi notae reſpirationis factae deſint, tamen ſumma natabant aqua, forte propter putredinem, cuius veſtigia praeter ſanguinem tenuem et reſolutum et ſerum ſubter capitis integumentis effuſum nulla viderat ſcilicet; Negat hoc alter medicus **), hac de re

dubia

*) Abhandlung. und Beobachtung. aus der pract. und gerichtl. Arzneiwiſſenſchaft, Berl. 1787. n. 7. p. 105 ſeq.

**) Ibid. p. 118 ſeq.

dubia interrogatus, et fetum viuum in lucem editum fuisse contendit propter sugillationem deprehensam, fontanellae depressionem, pulmonum natationem et suffocationem praegressam, etsi, quomodo haec facta sit, se nescire profitetur, Venit in subsidium physici gratiosa facultas Vitebergensis *), negat vitae fetus intra vel post partum praegressae notas, eumque nec ex haemorrhagia, nec ex suffocatione, sed ex sola cerebri putredine obiisse statuit. Iam vero expresse dicit Cl. KECK **), se nullum putredinis signum deprehendisse, eiusque aduersarius *** ) iure suo, vt videtur, putredinis vestigia requirit, quia infans probabiliter in vtero mortua fere triduo post partum sectionem legalem subiit, neque tamen talia in conspectum dedit. Relinquitur ergo caussa facti dubia, sententia anceps, coniectura facilis, iudicium periculosum.

---

## SECTIO II.

### *Aestimatio Casuum aequa.*

### §. VII.

Consideranti mihi hosce casus forenses, quibus docimasia pulmonum dubia et suspecta reddi debuit, eosque ex aequo, sine ira et partium studio aestimanti, videtur res nondum esse ad liquidum perducta, quia, me quidem iudice, falsam esse notam

*) Ibid. pag. 128 seq.
**) Ib. p. 112 et p. 16.
***) Ib. p. 121.

notam, ex pulmonum natatione ſumtam, non ſatis oſtendunt, magis vero docent, probabilem eſſe Mazini *) ſententiam, qua in pulmonibus fetuum praematurorum cauſſa quaedam occulta ſubeſſe ſtatuitur, quae aerem difficilius admittat, ideoque expanſionem thoracis impedit, vitae vſuram ſerius ocyus tollat. Iſta vero coniectura propius abeſt a vero, quia hiſce in caſibus, docimaſiae pulmonum aduerſis, fetus in lucem editi tantum non ſemper erant aut praematuri, aut debiles, videbanturque hac de re inhabiles eſſe ad vitam perpetuandam. Illi non proprie pertinent ad medicum forenſem, ſed magis maturi, vtpote quorum pulmones aptiores vitae putantur, hi vero propter imbecillitatem virium pereunt ante, quam ſpiritum duxerant atque renouarant, et coeptae ſpirationis periculum pulmone dextro **) ſupernatante, ſiniſtro fundum petente ſatis ſuperque produnt. Exceptionem ergo adhibent aduerſarii ad infirmandam tollendamque veritatem, caſus ſubitos in locum perpetuorum et ſexcenties eodem modo euenientium temere ſubſtituunt, plus, quam fas erat, exinde colligunt, et quam mali ſint dialectici, ſponte ſua profitentur. Nam a *particulari ad vniuerſale nulla valet conſequentia.* Etenim ſi cauſſa ſuberat abdita (erat vero tantum non ſemper, quia medici rei quidem inuiſae adſtupebent, ſed explicare non audebant) primum debuiſſent eam, tanquam fortuitam, actis notare atque deſignare, deinde plures id genus obſeruationes circum-

*) Coniect. phyſ. med. hydroſtat. de fetus reſpirat. Brix. 1737. p. 78.

**) V. *Metzgeri* Progr. de pulmone dextro ante ſiniſtrum reſpirante obſ. Regiom. 1783. p. 4. ſeq. et *Leonhardi* Pr. De reſpirat. recenſ. nator. dextrilatera in medic. forenſ. plurim. attendenda, Viteb. 1783. p. 9 ſeq.

circumſpicere, num forte e tenebris in lucem proferri poſſint, tandem ſingulas inter ſe conferre atque ſedulo inueſtigare, vtra in parte cauſſa lateat, quae eius nota ſit, quae diuerſitas, et tunc demum, re dextre riteque perpenſa, modeſte iudicare. Neque vero perpetua praecepta medicinalis ars recipit, neque quaeſtiones forenſes ſemper tam euidentes ſunt, vt exceptione ac dubitatione maiores eſſe videantur. *Cum igitur talis res incidit, medicus aliquid oportet inueniat*, ſub auctore CELSO *), *quod non vtique fortaſſe, ſed ſaepius tamen etiam reſpondeat. Petet autem nouum conſilium non ab rebus latentibus, (iſtae enim dubiae et incertae ſunt) ſed ab his, quae explorari poſſunt, id eſt, euidentibus cauſſis.* Id quod obſeruatores noui non fecerunt ſcilicet. Neque haec ſic praeteriri debuiſſent, quaſi nullam controuerſiam reciperent, cum iuſta rei aeſtimatio ab ſedula factorum exploratione atque colligatione cauſſarum pendeat, et in omnibus eiusmodi cogitationibus in vtramque partem poſſit diſſeri. Accedit et illud, quod quidem ab experimentis iudicii formam traxerunt, ſed maiorem iis, ac per rei grauitatem licebat et fas erat, fidem habuerunt, ac protinus ab natantis pulmonis contemplatione ad negandum deſcenderunt. Quin et auxilia muliercularum matrumque inuocant, teſtimonia et confeſſionem ex actis anquirunt, et ſic rei fallaciſſimae credunt. Vt enim moroſus debitor fugae ſeſe commendans ſibique metuens durum atque immitem creditorem ab tergo eſſe ſentit, infantes terriculis

*) De Medicin. Praef. Lib. I.

riculis ſpectrorum lemurumque inquietantur, quibus tener animus a credula matre vel edentula nutrice imbutus erat, et ſagae vel ſine tormentis atque tortoribus ſe rem cum ſpiritibus habuiſſe confitentur; ita etiam femina, partu clandedeſtino ſuperato, facinore commiſſo, furiis conſcientiae malae agitatur, videt infantis occiſi ſanguinem et vmbram, audit vocem et ſibilum viuentis, anhelitum morientis, horreſcit vindictam iudicis. Iurabit, quicquid ſibi ſemel perſuaſum erat animo, hoc etiam certo vſu eueniſſe. Quid ergo amplius? Mallem fierent in poſterum reſponſa collegiorum magis ex viſo reperto, quam ex reae teſtimonio, magis ex iuſto et aequo, quam ex opinione praeſumta vel coniectura. Nam matris res agitur. Iam vero diſpiciamus ſingula.

## §. VIII.

1. *Obſeruatio* Ill. Loderi. Erat haec communibus medicinae forenſis decretis prorſum contraria, hinc nec mirum, quod multi medicorum fidem auctoris ſuſpectam haberent, quia, quomodo fetus natus per tredecim horas viuere ac vocem edere potuerit ſine ſpirationis in pulmone indiciis, non liquet. Regerit ergo poſt Iaegervm *) et anonymum **) haud vltimus ex aduerſariis, Cl. Scholl ***), primum non ſatis certum eſſe vocis editae documentum, quia teſtibus auritis et credulis debeatur, et vitam ſine voce per aliquot horas conſiſtere non poſſe, deinde auctorem opinionis paradoxae nu-

*) Diſquis. Caſus et annotat. ad vit. fet. neogoni p. 25.

**) Allgem. deutſche Bibl. B. 47. St. 2. p. 409.

***) L. cit. p. 17.

numerum frustulorum, quibus pulmo scissus constabat, non memorasse; (Id quod in re ardua, noua et inaudita scilicet fieri debuit, quia ex obseruatione clarissimorum virorum, PORTALI, METZGERI et LEONHARDI, patet, dextrum pulmonem posse spiritum attrahere, sinistrum minime,) eaque de re dubium esse, quatenus collapsae partes aliquas vesiculas inflatas spiratione debili secum ad imum traxerint, tandem, quod decebat anatomicum cum maxime, tubuli ministerio aerem asperae arteriae inflari debuisse, vt hinc certiores fierent contrariae opinionis fautores, quantiuis sit noua obseruatio pretii, quoniam si aeri ingressus dabatur, pulmones non ob quoddam vitium, sed ob aeris defectum graues fuisse atque desedisse putandi sunt. Ita vero huncce casum magis speciosum, quam verum videri contendit, quia *si foetus et debilis, et immaturus* *) *fuit*, (fuit vero talis) *nullus omnino, si non vagiuit, vel si vagiit, parcissimus aer etiam post tredecim horarum vitam in pulmonibus exspectandus erat.*

Magis instat ILL. METZGERVS **), strenuus pulmonum docimasiae vindex atque defensor, et ingenue satisque liberaliter profitetur, *neque respirationem ante mortem, neque veram vitam infuisse infantulo, neque contra docimasiam quicquam inde iure concludi, eamque etiam rite adornandam esse, si probationis vis ei inesse debeat*, subsedisse etiam interdum pulmones infantum vagientium et viuentium, multaque hac in obseruatione desiderari.

 Neque

*) L. cit. p. 30.
**) Gerichtl. Med. Beobacht. B. I. p. 206. et Disp. cit. p. 15.

Neque diſſentit Cl. *Daniel* *), et pulmones ideo ima vaſis petiiſſe credit, quod *infans ſuffocatione naturali mortuus eſſet*, hinc ortus *profundus pulmonum color*, obſcurum vero eſſe, quod *pulmones collapſi* dicantur. *Sed quomodo collapſus pulmonum*, inquit, *conciliari tam cum vita, ad tredecim horas producta, quam cum clamore infantis poſſit, fateor, me non adſequi. Quis enim credat, clamorem aut poſſe citra pulmonum diſtenſionem fieri, aut pulmonum diſtenſionem, tum reſpiratione, tum clamore productam, poſſe iterum euaneſcere, cum millies millena exempla contraria exſtent? Igitur callapſus pulmonum ad ſolum Cl.* LODERI *oculorum teſtimonium redit, quod tam diu liceat in dubium vocare, donec circa volumen pulmonum certiora eruuntur obſeruata. Facilius enim credam, infantem natum poſſe citra reſpirationem aliquandiu perſiſtere, vt in* BOHNII *exemplis, quam ſtatuam, pulmones infantis, qui reſpirauit et eiulauit, poſſe eſſe collapſos. Vtinam vir Cl. ante, quam in fruſtula ſecaret pulmones, aerem inhalaſſet, ſicque, quonam euentu pulmones adhuc dilatari poſſent, attendiſſet!* Haec quidem grauiter, ſed, vt mihi videtur, ſatis vere reique appoſite!

Reſtant plures dubitationes, quae paſſim in ſcriptis medicorum occurrunt. Aiunt enim, fetum dici praematurum, ſed ſileri, quo menſe fuerit, quia ſeptimeſtris, iudice Cl. STEINIO **), libras tres et ſemunc. octo vel ſedecim pendere debet, longitudinem conſiſtere pede vno et qua-

*) Lib. cit. p. 203. ſeq.

**) Kurze Beſchreib. eines Baromacrometers u. Cephalometers, Caſſel, 1775. p. 9.

quatuor pollicibus, hunc ponderasse libras duas, et longitudinem fuisse VIII. pollic. haec vero ex iudicio STEINII *) fere pertinere ad fetum immaturum i. e. semestrem et semis, ergo videri dubium, quomodo talis et viuere, et vocem edere potuerit; deinde rem omnem narratione testium minus idoneorum contineri, quorum fides et aestimatio quam fallax sit et lubrica, neminem fugiat, puellam forte clanculum peperisse, inscia et inuita matre, ideoque suspectam videri fabulam; post non definiri tempus, quando fuerit cadauer in theatrum anatomicum depositum, non definiri anni tempus, caeli affectionem, corporis habitum vel putredinis nullae, incipientis praesentisue notas; tum casum extra forum esse scriptum, testibus auditoribus, qui qualesue saepe numero sint, omnibus notum sit; tandem non memorari, vtrum ab hac docimasia pulmonum coeperit, an quaedam pericula anatomica ante fecerit, nec perspicuum esse, qualis fuerit aqua, pura, an impura, et quidem ab initio limpida, post salina, tepida, an frigida, vniuersa, an singula frustula ad imum desederint, post scissuram strepitus quidam siue sibilus **) adfuerit, nec ne, spuma cum sanguine prodierit, nec ne, cet. quia multum haec nosse refert. Immo vero pulmones tales cum essent, id est, collapsi ac fusci, fieri facile potuisse, vt fundum peterent, (hoc enim proprium infantum non adspirantium est) sed dubium semper fore, quomodo infans hoc in statu potuerit vere viuere ac vocem edere. Hic

 Rhodus

*) Ibid. p. 10.

**) Huic signo pulmonum aere expansorum proprio plurimum fidit Cl. *Metzger* (Diss. cit. p. 20. et in *Pyl* Neuem Magaz. für die gerichtl. Arzneik. B. I. p. 62.) et Cl. *Ploucquet*. Comm. in process. criminal. §. 83. p. 257.

Rhodus eſt, hic ſalta, inquiunt duri et immiſericordes arbitri. Res in praeceps data et adducta eſt, et vel dubitatio prorſum diluenda, vel iſta obſeruatio pro precaria habenda. Sed mei non eſt, tantam componere litem, neque lubet nodum in ſcirpo quaerere. Viderint alii.

§. IX.

2. *Obſeruatio Cl.* BVCHOLZII. Cum hoc in caſu dexter pulmo ſupernataret, ſiniſter etiam, ſed ex parte tantum, altera ex parte deſideret, ſequitur, vt fetus reuera aerem reciprocatus ſit, ſed lente atque infirme, inflatus ergo pulmo, vtpote leuior, ſummam aquam tenere, ſubfuſcus vero et denſus ad imum reſidere debuit. Inerat vita et ſpiratio debilis, quia ne poſt irritamentum quidem melior facta eſt, et mors biduo poſt inſecuta, inerat forte vitium quoddam pulmonum vel aſperae arteriae occultum, idque praeteruiſum, gliſcens intus vita hinc trahi quidem, ſed continuari non potuit. Eſt ergo damnatio docimaſiae pulmonum, quia ſemel fefellit, nimis praepoſtera.

§. X.

3. *Obſeruatio* CL. IAEGERI. Perquam ſimilis haec eſt Loderianae. Vixit in vtroque caſu fetus XIII. circiter horas, praeſumitur ergo ſpiraſſe, et nihiloſecius pulmonum pars modo ſuperne natare, modo deorſum mergi viſa eſt. Et in hoc quidem differt ab illa quam maxime, quia haec alterna natatio et ſubmerſio fetum certo vixiſſe ac aerem duxiſſe indicio eſt, eum vero propter infirmitatem ab matre profectam leuiter ac ſenſim thoracem eleuaſſe, ideoque nec

ſpiri-

ſpiritum illico omnes pulmonum partes permeare atque diſtendere potuiſſe. Id quod Cl. SCHOLL *) noua confirmat obſeruatione, dum fetus maturus et poſt debilem trium dierum vitam denatus ſub ſectione vtrumque pulmonem oſtendit partim roſeum et mollem, partim profunde rubrum et duriuſculum, de reliquo vndequaque bene conſtitutum, integrum quidem aquis ſupernataſſe, at vero in partes diſſectum et nataſſe, et ſubmerſum eſſe. Quodſi transferatur ad forum, facile intelligitur, poſſe etiam nonnunquam incidere, vt pulmones fetuum clandeſtine natorum eandem formam idemque ſpectaculum referant, habent ergo tales feminae praeſumti facinoris excuſationem, et poſſunt iure ſuo eundem legum fauorem poſtulare, niſi contraria ſententia ex actis pateat. In dubio enim caſu praeſtat anceps experiri conſilium, quam iudicium praecipitare.

## §. XI.

4. *Obſeruatio* ILL. METZGERI. Erat etiam fetus circiter ſeptimeſtris, ſed iſto caſu extra dubitationem ponitur, hunc, etiamſi paullo immaturiorem, per aliquot horas vitam traxiſſe, ſine reſpiratione ſenſibili, hinc pulmones ſubſediſſe, fieri ergo etiam idem potuiſſe in caſu Loderiano. Quod ſi verum eſt, vt eſt, nihil inde colligitur, niſi hoc, vitam aut ſi mauis vitae principium, tanquam leuem flammulam, per aliquod temporis ſpatium intus deliteſcere poſſe, nec oculis vſurpari vel aeſtimari, eaque de cauſſa nimis de ſe ſuoque inuento ſentire, qui protinus, ac rem aliter eueniſſe

*) Diſſ. cit. p. 23.

nisse viderint, veteris doctrinae fidem suspectam reddere atque imminuere audent, vnica freti obseruatione scilicet. Immo vero iubet ista res, vt cautiores medici in respondendo, iureconsulti in decernendo sint, ne quid detrimenti fama et vita puellarum capiat.

§. XI.

5. *Obseruatio b.* KOENIGSDOERFERI. Pauca sunt, quae moneam, quia casus reliquis non est absimilis. Si habitum pulmonum spectas, non poteris non fetum sub partu mortuum existimare: Si muliercularum confessionem, vixit, vagiit spiritumque duxit. Quod quia praeceptis physiologiae et medicinae forensis opponitur, mallem equidem credere physico experto, quam rudi feminae, certe rem ipsam in medio relinquere, ac vitae matris proprium scelus vel negligentiam testantis parcere. In votis est, vt physici, hoc exemplo cautiores facti, si quando casus dubius incidat, omnes ac singulas, summas et imas, pulmonum partes aquae committant, vt, quomodo se habeant, inde perspiciatur, deinde vero interiorem fabricam, quam fieri potest diligentissime inuestigent. Sic forte veniet post nubila Phoebus.

§. XIII.

6. *Obseruatio* CL. KECKI. Videtur mihi quidem iste fetus suffocatione naturali periisse: Id quod liuidus faciei et vniuersi corporis color, vasa cerebri, pectoris et cordis sanguine referta, pulmones liuidi et collapsi praeclare docent. Sed quomodo pulmones, tales cum essent, etiam simul spongiosi, rari et leues esse potuerint, equidem non video.

Et-

Etenim quatenus erant liuidi et collapſi, vitam et reſpirationem denegandam ſuadent, et ad imum deferri eos omnino oportuit: Quatenus vero erant ſpongioſi et teneri, eatenus quidem aquae ſupernatare ac ſpirationem ante actam prodere poterant. Multae ergo cauſſae in promtu ſunt, quare huic obſeruationi fidem adiungere nequeam, quia binae res, natura ſua longe diuerſiſſimae, grauitas et leuitas pulmonum, inter ſe minime concordant, falſum ergo mihi videtur, vtrumque et integrum, et in partes ſciſſum aquae innataſſe. Si quid in re obſcura coniectare licet, fetus ſine dubio debilis poſt primam alteramue ſpirationem diem ſuum obiit, hinc quaedam pulmonum pars ima petere, quaedam ſummam aquam tenere debuit. Tunc vero e re phyſici erat, curatius deſcribere pulmonem dextrum et ſiniſtrum, fruſtula ſumma et ima, quae vel innatarint, vel deſederint, nequaquam rem vniuerſe ſcribere. Quare non male Ill. Metzger *): *Audacem, ut infelicem docimaſiae impugnatorem Cl. Keckium, qui ex peſſime et oſcitanter inſtituta ſectione contra in genere aſſurgere, remque illotis manibus tractare auſus eſt, vix dignum iudico, qui inter ſcriptores huc facientes referatur.*

## §. XIV.

Redit ergo res omnis eo, ſi litem ex aequo et ſine partium ſtudio diudicare velimus. Dantur caſus, vbi ob debilitatem vel alias cauſſas fetus vita vix ac ne vix quidem inchoata

*) Diſſ. cit. p. 17.

choata ſubito adimitur, eaque ex habitu corporis et forma, ex iis, quae partum et anteceſſerunt, et inſecuta ſunt, rel. facile perſpiciuntur. In his eſt inaequalis thoracis et pulmonum extentio, inaequalis ſpiratio, inaequalis ſanguinis circuitus, ſequi ergo debet quaedam natationis et ſubmerſionis diuerſitas. Suſtinendum ergo videtur iudicium *) forenſe, quoniam talia quotidie accidunt. Dantur caſus, quibus quantopere voluntas auctoris laudanda ſit, etiamſi vires deſint, ſatis intelligitur: Nam ſibi ipſi ſcriptores repugnant, et quandam animi leuitatem in ſcribendo atque affirmando produnt. Dantur caſus, (et hoc ex numero is eſt, quem Ill. Loder litteris conſignauit) vbi pulmones quidem denſi et collapſi aquis ſubmergebantur, ſed foramen ouale hiabat, via per ductum Botalli et ductum venoſum peruium patebat. Iam vero thorax ſub teſte idoneo, Hallero **), et pulmo fetus lente diſtenditur, ideoque *nec continuo aut ductus arterioſus clauditur, aut ouale foramen, plus tamen ſanguinis per inflatum pulmonum tranſit*, et certiſſime is non amplius mergitur aquae immiſſus ob aeris ingreſſum ſcilicet. Etenim quod ad imum vaſis vterque pulmo collapſus deferebatur, hoc indicio eſt, fetum non vere ſpiraſſe, quicquid feminae contra dicant; quod aliquot horis ſuperuixerat, hoc quidem debetur

*) Cf. *Morgagni* De Sedib. et Cauſſ. Morbor, Epiſt. 19. n. 46. p. 188. T. II. edit. Venet.

**) Element. Phyſiol. Lib. VIII. Sect. V. §. 1. p. 314. T. III.

tur viae ſanguinis veteri, neque tamen potuit in vita manere, quia dum ſpiritum liberius ducere datum erat, ne reſpirauit quidem perfecte ac apte nato homini, vnde demum cunque cauſſa impotentiae venerit. Talia reputanti et inter ſe confe- renti mihi quidem videtur eſſe vero ſimillima MAZINI con- iectura, qua ad credendum inducor, id vbi acciderat, prae- ſertim ſi fetus immaturus fuerit, adfuiſſe ac latuiſſe in pul- monibus labem quandam occultam, infarctum*) vel fabricam laeſam, quae efficeret, quo minus ſpirare ac viuere diutius poſſet fetus. Hanc autem inueſtigationem fere in omnibus id genus obſeruationibus deſidero, cum auctores neque aeta- tem fetus rite definiant, neque pondus pulmonis atque vo- lumen, denſitatis vel raritatis gradum etc. vitia quidem, quae in conſpectum cadunt, memorent, at in occulta non curate inquirant, intra ſolam pulmonum docimaſiam conſiſtant, ne- que, quae matris fuerit valitudo, integra vel aduerſa, bene recteque attendant. Sic verum eſſe poteſt, pulmonem talem in imum reſediſſe, ſed nimis praeceps et fallax iudicium eſt, falſum ideo eſſe experimentum forenſe, quod a pulmonibus ſumitur. Relinquitur ergo, vt, ſi talia in poſterum incidant, phyſici omni, qua decet, diligentia interiora pulmonum et thoracis perſcrutentur, cauſſam detectam rite explicent, oc- cultam ingenue fateantur, neque pruritu quodam nouatu-

 riendi

*) *Morgagni* l. cit. p. 189.

riendi in transuersum se abripi patiantur. Turpe est collegio, veritatem facti per inscientiam vel fauorem minuere; turpius, cuiquam scelera criminatione falsa imputare; turpissimum, vitae hominum sumtionibus precariis, opinionibus praeiudicatis vel experimentis cum exceptione veris insidiari. Magna mehercle atque inaestimabilis res est vita hominum, quae proletario cuiusque medici vel collegii iudicio male atque summa cum iniuria permittitur, magna etiam conscientiae vis, qua impellimur, vt in casu dubio dubie pronunciemus.

Kiefer, Carl Friedr.
Jena